



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Lietbertvs Episcopus xxxij. Cameracensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## L E V I N A.

22. *Iul.* **L**EVINA virgo Anglicana sub Euberto Anglorum Rege floruit, & martyrium fecit sub tempore Theodori VII. Cantuariensis Archiepiscopi, qui anno 690. obiit. E terra est eleuata per Edelinum Antistitem, ac demum Bergas S. Winoci quod est Flandriæ opidum translata. De eius miraculis exstat liber Drogonis Episcopi Morinensis.

## L I E T B E R T V S

*Episcopus xxxij. Cameracensis.*

23. *Iun.* **G**ERARDO primo in Episcopatu successit Lietbertus, qui ex Brachatenfi patria, nobili ortus prosapia à progenitoribus educandus puer commissus est sub eiusdem Gerardi disciplina. Fundauit Monasterium sancti Sepulcri, quod est Benedictinorum in vrbe Cameracensi, & in Ecclesia sancti Auberti eiusdem vrbis Canonicos regulares cum Abbate constituit eiectis clericis nimis negligenter & inordinatè tunc Deo seruientibus, quos Ansbertus Episcopus xxvi. ibidem collocarat. Viuere desiit 1076. Vitam fuscè prosequitur Baldericus libro tertio in Chronico Cameracensi. Multas dotauit Ecclesias beatæ Virginis, sancti Auberti, sancti Vedasti, sanctæ Crucis, Gaugerici, Andreae Apostoli, in monte Eligiano Canonicos quoque regulares constituit, omnibus sese formam iustitiæ & veritatis præbuit, inimicitias vitabat cautissimè, ferebat æquissimè & funebat citissimè. Amorem pecuniæ totius suæ spei certissimum venenum esse crede-



credebat. Diligenter seruabat vulgare prouerbium nemi-  
ni facias, quod pati non vis. Amicis utebatur ad repen-  
dendam gratiam, inimicis ad patientiam omnibus ad be-  
neuolentiam. De illo plura vide apud Molanum 23. Iu-  
nij, & Locrium in Chronico Belgij ad annum Redem-  
ptionis 1077.

## L V C I A.

**D**E LV CIA licet nihil apud Molanum in Natalibus, 22. Oct.  
& Miræum in Fastis inueniam. De ea tamen ex Ia-  
cobo Gulielmitarum Brugensium Præfecto hæc habet  
Harduinus. Martiano imperante in vndecim millia Vir-  
ginum sæuitum est, inter quos Flandberti Flandrorum  
Regis coniux Theodora, Germana Luciaque interem-  
ptæ sunt.

## M A C A R I V S

P A T R I A R C H A A N T I O C H E N S I S.

*Contra pestem Tutelaris. Gandau.*

**R**elicto Episcopatu Antiocheno Hierosolymam ad 10. Ap.  
pia loca visenda se contulit, variis demum Prouin-  
ciis lustratis in Belgicam venit, floruitque miraculis  
Machliniæ, Malbodij, Cameraci, Tornaci & alibi. Gan-  
dauum nouissimè profectus ibidem in Bauonica Benedi-  
ctinorum Abbatia annum ferè substitit, ac peste demum  
correptus anno 1012. piissimè obdormiuit, Anno autem  
1067. corpus omninò integrum Balduinus Nouiomensis  
& Lietbertus Cameracensis Episcopi 7. Idus Maij eleua-  
runt. Philippo Francorum Rege, Balduino Insulano